

OFFICIUM PARVUM

DE SEPTEM DOLORIBUS


B. Mariæ Virginis.

SUCRE.

INTIPOGRAPHIA PROGRESSUS.



01683



ni Mo Mo Subpriora
us Sacramenta

AD VIRGINEM DOLOROSAM

Sancti Bonaventuræ.

Ave Maria, doloribus plena, Crucifixus tecum, lacrymabilis tu in mulieribus, et lacrymabilis fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Crucifixi, lacrymas impertire nobis crucifixoribus Filii tui nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

Pius Pp. IX Pont. Max. recitantibus prædictam precem in honorem B. M. Virginis perdolentis indulgentiam 100 dierum benigne concessit (Ex decr. S. C. Ind. ex audentia SS.mi die 25 Decembris 1847.)



Officium parvum*De septem Doloribus B. Mariæ Virginis,***AD MATUTINUM.***Dolor 1, Ex Simeonis Vaticinio.*

Ave Maria, etc. Vs. Domine, labia
mea aperies. Rs. Et os meum annuntia-
bit laudem tuam. Vs. Deus in adiutorium
meum intende. Rs. Domine, ad adjuvan-
dum me festina. Gloria Patri, etc. Alle-
luja. vl. Laus tibi Domine, etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ cor tuum gladio
Transfigendum audis tristi
Senis vaticinio.
Tanti memor fac doloris,
Mihi sis præsidio,
Ut post vallem hanc mæroris
Cœli reddar gaudio.

Antiph. Thren. 2. 13. Cui compa-
rabo te? vel cui assimilabo te, filia Je-
rusalem? cui exæquabo te, et consolabor
te, Virgo, filia Sion? magna est enim ve-
lut mare contritio tua.

Vs. Tuam ipsius animam doloris gladius
pertransibit.

Rs. Ut revelentur ex multis cordibus cogi-
tationes.

OREMUS.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Domine Jesu-Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Dolor 2, Ex fuga in Ægyptum.

Ave Maria, etc. Deus in adjutorium, etc.

Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ præ regis furia
Sæviente, corde tristi
Fugis exul patria.
O Regina beatorum,
Nostri spes exilii,
Fac, infractus vi malorum
Fiam consors Filii.

Antiph. Thren. 2. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus; subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, et domi mors similis est.

Vs. Domine, ante te omne desiderium me-

am. Rs. Et gemitus meus á te non est absconditus.— Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Dolor 3. Ex amisso duodenni filio.

Ave Maria, etc. Deus in adjutorium,
etc. Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Natum lugens inclytum:
O quam tristis quæсивisti
Triduo jam perditum!
Hujus memor o doloris,
Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris
Nexum semper teneam.

Antiph. Thren. 1. 2. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

Vs. Posuisti me desolatam. Rs. Tota die mœrore confectam.

Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

Dolor 4. Ex captivitate, flagellatione, coronatione, et bajulatione Crucis Christi.

Ave Maria, etc. Deus in adjutorium.

Gloria Patri. etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,

Quæ dilectum Filium
Capi, cædi flens vidisti,
Manibus crudelium.

O per pœnas patientis,
Nobis sit impunitas;
Per amorem condolentis
Matris crescat charitas!

Antiph. Thren. 1. 9. 10. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia mea.

Vs. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum.

Rs. Et plorabo die ac nocte.

Oratio ut upra.

AD NONAM.

Dolor 5 Ex crucifixione.

Ave Maria, etc. Deus in adiutorium,
etc. Gloria, etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,

Quæ sub crucis arbore,

Gemens, Natum morti tristi

Vides heu! succumbere.

O per ensem hunc doloris,

Qui tunc scidit animam,

Fac me firmet vis amoris

Mortis ad victoriam.

Anthiph Thren. 1. 12. O vos omnes

qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Vs. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam.

Rs. Sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Dolor 6 Ex Corporis e Cruce sublatione.

Ave María, etc. Deus in adiutorium,
etc. Gloria Patri, etc.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi

Quæ de Cruce Mortuum

Ulnis Natum suscepisti,

Madens unda fletuum.

Eja, præstet vis doloris,

Mater plena gratiæ,

Ut supremis server horis

Gremio clementiæ.

Antiph. Ruth. 4. 20, Ne vocetis me Noëmi (id est pulchram), sed vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine valde me replevit Omnipotens.

Vs. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

Rs. Inter ubera mea commorabitur.

Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Dolor VII. Ex sepultura.—Ave María etc.

Vs. *Converte nos Deus salutaris noster. Rs.*
Et averte iram tuam a nobis.

Rs. *Deus, in adjutorium, etc. Gloria Patri, etc.*

HYMNUS.

*Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ sepulchro conditum
Plaangis Natum, heu! quam tristi
Mente volvens obitum.
In virtute tot dolorum,
Quos tulisti fortiter,
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter,
Demum sorte beatorum
Fac gaudere jugiter.*

*Antiph. Thren, 1. 16. Idcirco ego plo-
rans, et oculus meus deducens aquas: quia
longe factus est a me consolator, conver-
tens animam meam.*

Vs. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei. Rs.*
*Conturbata sunt viscera mea. Oratio
Interveniat pro nobis, ut supra.*

LITANIE DE SEPTEN DOLORIBUS B. MARIE VIRGINIS.

*Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis,
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Mater Dolorosa, ora pro nobis,*

- Cui in diversorio non fuit locus, ora
Quæ in stabulum divertere coacta est, ora
Quæ primogenitum tuum in præsepio collocasti, ora
Quæ circumcisionem Filii tui commiserata aspexisti, ora
Quæ Filium tuum in signum, cui contradicetur, esse positum audivisti, ora
Quæ tuam animam gladio transfodiendam audivisti, ora
Quæ cum Filio in Ægyptum fugere debuisti, ora
Quæ cæde Innocentum doluisti, ora
Quæ duodennem Filium in templo amissum triduo dolens quæsivisti, ora
Quæ constans Judæorum in Filium tuum odium sensisti, ora
Quæ in die ultimæ cœnæ Filio Hierosolymam ad passionem eunti tristissimum vale dixisti, ora
Quæ Filium á Juda proditum, et captivum abductum cognovisti, ora
Quæ Filium tamquam facinorosum principibus Sacerdotum traditum vidisti, ora
Quæ Filium falso accusatum audivisti, ora
Quæ benedictam Filii faciem terribili alapa cæsam intellexisti, ora
Quæ Filium á Judæis et lictoribus crudelissime tractatum audivisti, ora
Quæ Filium Barabbæ postponi audivisti, ora

Quæ Filium flagellis cæsum et spinis coronatum conspexisti, ora

Quæ iniquissimam in Filium sententiam pronuntiari audivisti, ora

Quæ Filio crucis pondere onusto obviam ivisti, ora

Quæ benedictas Filii manus et pedes horrendis clavis transfigi audivisti, ora

Quæ suprema Filii tui Verba in cruce excepisti, ora

Quæ Filio in agone adstitisti, ora

Quæ exanime Filii corpus de cruce depositum materno gremio excepisti, ora

Quæ à sepulto Filii corpore tota tristis et desolata domum rediisti, ora

O regina Martyrum, ora

O speculum afflictorum, ora

O solatium infirmorum, ora

O fortitudo pusillanimatorum, ora

O refugium peccatorum, ora

Per amarissimam passionem et mortem Filii tui, libera nos o Regina Martyrum.

Per acerbissimos dolores cordis tui, libera nos

Per summam tristitiam et desolationem tuam,

libera

Per maximas angustias tuas,

libera

Per gemitus et lacrymas tuas,

libera

Per maternam compassionem tuam,

libera

Per potentissimum patrociniū tuum, libera

Ab immoderata tristitia, libera
A pusillanimitate, libera
Ab omni occasione et periculo peccati, libera
Ab insidiis diaboli, libera
A duritia cordis libera
Ab impænitentia libera
A subitanea et improvisa morte, libera
Ab æterna damnatione, libera
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nos in vera fide, spe et charitate patro-
cinio tuo conservare digneris, te
Ut nobis á Filio tuo perfectum de peccatis
dolorem et pænitentiam impetrare digne-
ris, te rogamus audi nos.
Ut invocantibus te consolationem et opem
ferre digneris, te rogamus,
Ut in agone mortis nobis succurrere digneris,
te regamus,
Ut beatum nobis vitæ exitum impetrare dig-
neris, te rogamus,
Mater Dei, te rogamus,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
nobis Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
nos Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere
nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos. Kyrie
eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, Ave Maria.

Vs. In omni tribulatione et angustia.

Rs. Succurre nobis, beatissima Virgo Maria.

OREMUS.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Domine Jesu-Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu-Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum Amen.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicuti relatum est Nobis, Presbyteri Seculares Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis de Plata in America Meridionali Deiparam Virginem Perdolentem peculiari religione caelestem veluti Patronam colant, adque identidem ad piissimæ ejusdem Matris Dolorum memoriam animo repetendam parvum Officium seu Litanias de ejusdem B. M. V. Doloribus, quæ in Breviario Ordinis Servorum Mariæ reperiuntur, laudabili more institutoque recitent, Nos ut uberiores exinde fructum caelestis beatitudinis adipiscendæ memorati Presbyteri capiant, omnibus et singulis Presbyteris Secularibus Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis de Plata quotiescumque parvum Officium, seu Litanias Immaculat. Mariæ Virginis Perdolentis, de quibus habita ante mentio est, corde saltem contriti recitaverint, centum dies de injunctis eis, seu

alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus: quæ quidem pœnitentiarum relaxatio, ut etiam Animabus christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possit, impertimus. In contrarium faciens. non obstands. quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Aprilis MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquarto.—Pro Dño, Card, Paracciani Clarelli.

T. Prosili Substitutus.

HYMNUS.

in Laudem B. Mariæ Virginis, a S. Congregat. Rituum approbatus, anno 1612, die 22 Decembris.

Te Matrem Dei laudamus;

Te Mariam Virginem confitemur,

Te æterni Patris Filiam: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cœli, et universæ potestates,

Tibi Chérubim, et Séraphim: incessabili voce proclamant.

Sancta Maria, Sancta Dei Génitrix, Sancta Virgo Virginum: tecum est Dominus Deus Sábbaoth.

Pleni sunt cœli, et terra: majestatis gloriæ Filii tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum, laudabilis numerus,

Te Mártyrum candidátus, láudat exércitus,
Te per orbem terrárum, sancta confitétur
Ecclésia,

Matrem Salvatóris Dei, imménsæ majes-
tátis.

Venerándum quæ concepisti Dei verum,
et únicum Filium,

Sancto obumbráta, paráclito Spiritu.

Tu parens Regis, glóriæ Christi,

Tu Mater ejus, qui Patris sempiternus est
Filius.

Tu ad liberandum hóminem peperisti Domi-
num, qui non hórruit Vírginis úterum.

Ex te Virgine natus, devicto mortis acú-
leo, apéruit credentibus Regna cœlorum.

Tu ad dexteram Filii tui, sedes in glo-
ria Patris.

Filius tuus est Christus, qui Judex cré-
ditur esse venturus.

Te ergo quæsumus tuis fámulis súbveni,
quos idem Filius tuus pretioso sangui-
ne redémit.

ÆtéRNA fac cum sanctis Dei, précibus tuis
glória numerari,

Salvum faciat pópulum suum Jesus, et be-
nedicat hereditáti suæ,

Et regat nos Salvátor mundi, et extóllat
usque in ætérnum.

Per singulos dies, benedicimus te,

Et laudámus nomen tuum in sæculum, et
in sæculum sæculi,

Dignáre dulcis María die isto, sine pec-
cato, grátia Dei, nos custodire.

Miserere nostri pia; ora pro nobis Virgo
María,

Fiat per te misericordia Dei super nos,
quemádmódum sperávimus in te,

In te domina sperávi; ora pro me, ut non
confundar in æternum,

ÁNA.

Ave clementiæ Mater, consolatrix afflic-
torum, salus infirmorum! Tu gloria Je-
rusalem, tu lætitia Israel, tu honorificen-
tia populi nostri. O María Virgo imma-
culata, ora pro nobis ad Dominum,

Vs. Dignare me laudare te Virgo sacra,

Rs. Da mihi virtutem contra hostes tuos,

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui
per gloriosissimam Filii tui Matrem cœ-
leste præsidium nobis mirabiliter præparas-
ti, concede nobis famulis tuis; ut sub tan-
tæ Matris protectione constituti, nunquam
á tua benignitate deseramus, Per Domi-
num.—

